



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 21. Cardinales Conclave ingressi pro eligendo novo Pontifice.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI
A.C. 1585.

fice dignas felicissimo nexu copulabat, perennique elogio ejusdem pietas, ac prudentia celebrabitur: erat enim aliunde suavis, ac moderatæ indolis, victu, ac potu temperatissimus: in pauperes vero, & doctos beneficus, & mirum in modum liberalis: non desunt tamen, qui eidem vitio vertunt, quod erga sibi sanguine junctos nimium indulgens, atque in reprimendis, ac plectendis criminibus parum severus fuerit, præcipue erga proscriptos, qui eo regnante per Campaniam Romanam impune grassabantur, atque etiam plena diei luce usque ad Romanæ Urbis portas suam rabiem extendere non erubescabant.

§. XXI.

Cardinales Conclave ingressi pro eligendo novo Pontifice.

Titan. l. 82.
Spond. hoc
ann. n. 14.

Die vigesima prima Aprilis, in quam hoc anno Paschatis festum inciderat, Cardinales numero quadraginta duo Conclave ingrediebantur, quos Marcus Antonius Muretus eloquentissima oratione hortabatur, ut Ecclesiæ tale præficerent Caput, quod simul Pii V. probitatem, & Gregorii XIII. nuperrime defuncti prudentiam æquaret: priusquam vero Cardinales ad novi Pontificis electionem procederent,
una-

una omnes in sequentes articulos jura-
 re jubebantur. I. Ille, qui in Papam
 eligendus est, polliceatur, se pacem,
 & tranquillitatem inter Princeps, ac
 christianos servaturum, eosdemque ad
 oppugnandos Turcas, sectarios, schis-
 maticos, omnesque fidei christianæ
 hostes invitaturum. II. Sacram Sedem
 ab urbe Romana in aliam civitatem, aut
 provinciam nisi urgente per legem com-
 munem necessitate, & in Senatu pluri-
 bus Cardinalium suffragiis probata, ac
 confirmata non transferat. III. præcipiat,
 ut Judices, & Ministri muneribus, ac of-
 ficiis sacris defuncti, in loco, ubi illa exer-
 cuerunt, rationem administrationis suæ
 reddant. IV. Novus Papa in Cardi-
 naliū creatione non nisi viros idoneos
 morum probitate, ac virtutum, & do-
 & doctrinæ laude claros feligat. V. De-
 cretum Julii III. renovetur, ne duo
 Cardinales fratres Germani, vel con-
 sanguinei creentur. VI. Bona Eccle-
 siæ absque Collegii consensu non alie-
 net, nec privatos in usus vertat.
 VII. Eidem non liceat cuiquam Prin-
 cipi bellum denuntiare, quin prius rem
 sacro Collegio proposuerit, atque a sin-
 gulis Cardinalibus seorsim desuper suf-
 fragium tulerit. VIII. Spondeat de-
 nique, se omnia Cardinalium privile-
 gia, & jura conservaturum, adeo ut
 nullus

Sæcul. XVI.
 A.C. 1585.

Sæcul. XVI. nullus nisi a Purpuratorum Senatu
A.C. 1585. exauctorari, ac puniri valeat.

Feria secunda summo mane Cardinales in Divi Pauli sacello congregati sacram synaxim una omnes a Farnelio Cardinale sacri Collegii Decano recipiebant, & postea ad suffragiorum scrutationem procedebant, dum rursus suffragia colligere oportebat, ubi crebræ occurrebant æmulationes, ac privatæ factiones, quæ plus æquo humanam imbecillitatem, nimiumque erga dignitates affectum prodebant: tandem vero sancti Sixti Cardinalis Alexandrinum Cardinalem accersebat, amboque eodem momento Montaltum amplectentes ajebant: *Tu eris summus Pontifex*: horum igitur exemplum Cardinalium potissimi sequentes tanti Præfulis electioni applaudebant: porro hoc electionis genus *adoratio* appellatur, eoquod quivis Cardinalis eligendum Pontificem accedens eidem profunde inclinatur, adeo, ut tunc, si a tertiarum Sodalium parte hoc pacto salutatur, de futura electione sua certus esse valeat, quamvis nihilominus hæc ipsa nominatio rursus per suffragia confirmanda sit, & Cardinales hujus electionis Auctores sollicitè præcavere soleant, ne ibidem adorationi factæ præjudicium generetur.

§. XXII.